

papam, in quem et cujus jurisdictionem et tribunal expresse consentiunt, ejus jurisdictionem expresse et solempniter prorogando. Cujus cognitioni et declarationi dicte partes stare promittunt et sibi invicem dare, facere, et observare omne et quicquid per ipsum sanctissimum dominum nostrum papam dictum, sententiatum, seu declaratum fuerit, et solutionem in terra seu loco tribunal et judicii prefati sanctissimi domini nostri pape sibi invicem facere promittunt, per quem pro omnibus et singulis in presenti pace contentis voluerunt contra dictas partes et quamlibet earum realiter et personaliter, temporaliter et spiritualiter posse et debere procedi. Renunciantes fori privilegio non sine judicis l. Si convenit ff. de jure o. ju. et omni alii juri canonico et civili. Item cum in pace antiqua alias facta inter prefatum serenissimum dominum regem et commune Veneciarum contineatur, quod dominus dux et commune Veneciarum effectualiter renunciaret de facto in manibus prefati domini regis Hungarie et successorum ejus toti Dalmatie; nuncque dicti sindici, procuratores et ambaxatores domini ducis et communis Veneciarum nomine dictorum dominorum ducis et communis Veneciarum in pace presenti renunciarent effectualiter de jure et de facto in manibus supradictorum dominorum episcoporum procuratorum et actorum dicti domini regis recipientium nomine dicti domini regis et successorum suorum in regno et corona toti Dalmatie a medietate scilicet Quarnarii, usque ad confines Duracii, tamquam ab antiquo de jure regno et corone Hungarie spectanti et pertinenti. Item fuit actum inter dictas partes quod super facto Stendalis sancti Marci de Segna et jurisdictionis consulatus quem commune Veneciarum in loco Segne obtinet, sit et esse debeat in electione serenissimi domini regis et dominorum comitum Segne simul in hac forma videlicet: quod si disposuerint vel elegerint Stendale et consulatum de Segna tolli, quod hoc casu dicti domini comites de Segna carere debeant omnibus et singulis beneficiis, honoribus, privilegiis, pactis et conventionibus, que haberent in Veneciis et cum commune